

Schediasma criticum.

PETRONIVS satirarum cap. 25: *hinc etiam puto proverbium natum illud [ut dicatur] posse taurum tollere qui vitulum sustulerit.* eodem proverbio editores existimant Quartillam uti quod sit apud Quintilianum inst. orat. I 9, 5: *Milo quem vitulum adsueverat ferre taurum ferebat* ideoque eam scripturam, in qua omnes libri praeter unum Bernensem consentiunt, *quae* spernunt. sed hanc retinendam esse appetet altera proverbii forma comparata, quam Favorinus apud Ioannem Stobaeum florileg. XXVIII 69 servavit: *γραῦν τινά φασι μόσχον μικρὸν ἀραμένην καὶ τοῦτο καθ' ἡμέραν ποιοῦσαν λαθεῖν βοῦν φέρουσαν.* quae quidem Petronii loco, quippe quo de femina sermo sit, multo aptior est.

ibid. 62 in bellissima Nicerotis de milite in lupum mutato narratiuncula haec exstant: *venimus intra monimenta: homo meus coepit ad stelas facere, sed eo ego cantabundus et stelas numero. deinde ut respexi ad comitem, ille exuit se et omnia vestimenta secundum viam posuit. mihi anima in naso esse, stabam tanquam mortuus. at ille circumminxit vestimenta sua et subito lupus factus est.* acquievit Buechelerus in suspicione, qua Schefferus ea quae codices habent *sed ego cantabundus et stelas temptavit.* at cum maxime obstat quod is qui sedet infra stare dicitur et viator, cuius comes paululum a via devertit, non considere, sed lentius (v. *cantabundus, stelas numero, respexi*) praecedere solet. itaque cum sedem mendi alibi quaevissem, venit in mentem et ante *stelas* delendum et *sed ego* servandum esse. origo autem vitii ex pravo librariorum more repetenda est, quo s impuriae e vel i litteras praeponebant. ceterum cum paullo superius dictum sit: *luna luccat tanquam meridie* magis eo inclino ut *stellas* recipiendum putem, quod Buechelerus in maiore editione probavit, quam *stelas*, quod in minoribus praetulit.

SILI ITALICI Punicorum VIII 385 sq. locus est depravatus, quo Scaevolae clipeus describitur:

... *flagrant altaris ignes,*
Tyrrhenum valli medio stat Mucius ira

*in scemet versa, saevitque in imagine virtus
tunc ictae species iniere ac bella magistro
cernitur effugiens ardenter Porsena dextram.*

ex magno coniecturarum a viris doctis prolatarum et in L. Baueri editione memoratarum numero ea tantum probanda est, qua vir quidam doctus (Allg. Lit.-Zeit. 1796 fasc. 139) verba *iniere ac in finire hoc correxit*. cf. Senecae epist. VII 4, 53: *confecit (Mucius) bellum inermis ac mancus*. initium vero eiusdem versus nondum emendatum est. mihi videtur scribendum esse: *virtus, invicta species et plene post species interpungendum*. cf. Senecae epist. XVI 3, 12: *ex istis quae terribilia videntur nihil est invictum. singula vicere iam multi: ignem Mucius, crucem Regulus eqs. vocabulum species similiter usurpatur a Silio XIII 394*¹.

FRONTINVS strategem aton I 4, 4 haec narrat de Nicostrato, Aetolorum duce: *ipse cum cetera manu quo non exspectabatur aditu intravit. qua pro quo non solum Harleianus praebet, sed etiam optimus alterius codicum familiae, Parisinus. itaque aditu ex iis quae initio strategematis leguntur: cum ei aditus in fines eorum angusti fierent interpolatum videtur et eo eiecto qua retinendum. — simili vitio II 2, 14 Themistoclis strategema laborat, ubi ita scripserim: effecit ut exercitus barbarorum . . inquietaretur, dum tota nocte in statione [custodiae] est.*

i b i d. I 5, 3: *Q. Lutatius Catulus, cum a Cimbris pulsus unam spem salutis haberet, si flumen liberasset², cuius ripam hostes tenebant, in proximo monte copias ostendit tanquam ibi castra positurus. ibi editores posuerunt pro eo quod HP habent in. at nonne facilius ita locus sanatur ut praepositione servata eo ante castra, ubi facile intercidere poterat, inseratur?*

i b i d. 7, 2: *Hannibal, cum in praearli fluminis transitum elephantos non posset compellere nec navium aut materiarum, quibus rates consternerentur, copiam haberet, eqs. consterneruntur, codicis H scripturam, quam depravatam esse patet, librorum deteriorum correctores in construerentur mutaverunt, Oudendorpius in contexerentur. at ut verum inveniatur, proficiscendum est a*

¹ alios Silii locos emendare conatus sum in ephemeridibus Deutsche Litteraturzeitung XI (1890) p. 1871.

² satis mirus hic verbi *liberare* pro *transire* vel *traicere* usus, qui praeter Frontinum etiam apud Hyginum et Petronium reperitur, vulgaris videtur Latinitatis esse. ceterum sero video coniectaram ad I 4, 4 prolatam Stewecheinum praeoccupavisse. cum tamen originem vitii non explicavisset, nuperrimus editor eam ne memoravit quidem.

scriptura codicum CP *continerentur*, quam coniectura ortam esse nemo contendet. cuius si paucas litteras mutaveris, *compingentur* habebis.

i b i d . II 5, 4 L. Metellus ita se ab Hasdrubalis elephantis defendisse traditur ut fossam ingentem duceret et hastatos telis in beluas emissis intra munimenta se recipere iuberet. deinde haec sequuntur: *quo ut primum inlati sunt, partim magnitudine telorum confecti, partim retro in suos acti totam aciem turbaverunt.* oblii sunt viri docti, qui *magnitudine in multitudine vel magna vi vel magna multitudine vel grandine* mutari iusserunt, de hastatis sermonem esse. horum autem tela, sive hastae sive pila erant (v. Marquardt Röm. Staatsverwaltung II² p. 327 sq., 338 sq., 358), magna haud dubie dici poterant. de industria enim Metellum, ut elephanti letalibus vulneribus cito et sine magno militum suorum discrimine conficerentur, illis usum esse apparet, cum alii imperatores velites iis opposuissent¹. nihil igitur mutandum est.

merito Gundermannus nonnullos Frontini locos suis aut aliorum supplementis sanavit (p. 18, 1; 24, 4; 74, 6; 114, 25; 143, 13²), mallem tamen alibi transponendi remedio usus esset. velut III 10, 2, ubi haec in codicibus leguntur: *L. Scipio in Sardinia ciuisdam civitatis parte militum (per tumultum vulgo) relicta oppugnatione quam instruxerat speciem fugientis praestitit*, vix est probabile post *civitatis* verba *propugnatores ut eliceret*, *cum omissa esse*. at si ita illa inverteris: *in Sard. relicta oppugnatione ciuisdam civitatis parte militum quam instruxerat*, supplemento opus non erit. opponitur partis militum acies instructa iis, quos Scipio *in proximo occultavisse* dicitur. — similiter i b i d . § 8 scripserim: *omnia navilia, quae pro portu custodiam agebant*. nam quae codices habent: *pro custodia portus agebant tolerari omnino non possunt*. — denique eodem remedio II 5, 45 videtur utendum esse, ubi haec leguntur: *navali proelio decertaturus (Alcibiades) constituit malos quosdam in promunturio*. pronomen indefinitum cum vocabulo *malos* vix apte coniungitur, sed desideratur ante *promunturio*. itaque restituo: *malos in quodam promunturio*. v. I 8, 6 *bello Punico quaedam civitates*; II 5, 44 *par-*

¹ de diversis elephantos adoriendi modis prolixam habes disputationem apud Vegetium III 24.

² p. 133, 20 verisimilius videtur post *iussisset intercidisse et au-* *disset* quam *audiens ante facile*. deinde p. 137, 13 Gundermannus Har-*telium secutus poscentibus <pratum cum>* *promisisset* scripsit, ego *praefero: <pacem> poscentibus promisit et eqs.*

te . . . navium post quaedam promunturia occultata; 6, 9 Pyrrhus . . . cum quandam civitatem cepisset; III 1, 2 M. Cato . . . animadvertit potiri se quodam oppido posse; 2, 5 Cimon . . . insidiatus cuidam civitati; 4, 6 Phalaris . . . cum quaedam loca . . . oppugnaret; 6, 5 victo Cn. Pisone et in quadam turre circumpresso; 9, 5 Pericles . . . cum oppugnaret quandam civitatem; ibid. 8 Philippus in obsidione cuiusdam maritimae urbis, alios locos. certum autem est Frontinum nomina propria quae apud auctores suos invenerat omississe.

idem vitium pravae cuiusdam attractionis, quod duobus ultimis locis cum transpositione coniunctum observavimus, etiam hunc locum strategematis e Livii libro nonagesimo primo petiti¹ videtur pessum dedisse (II 5, 31): *Pompeio totum educente exercitum Sertorius quoque e collibus suos instructos ostendit effecitque, ne Pompeio expediret.* iure Guietus et Wassius in ultimis verbis offenderunt. nam quod Pompeius copias suas educit, hoc ei non expedit; necessarium erat eum legioni periclitanti auxilio venire. videtur igitur librarius memor impersonalis verbi *expedire* significationis, sed ignarus notionis eius militaris *Pompeius*, quod olim legebatur, in *Pompeio* mutavisse. accusativus autem *suos* vel *exercitum* ex iis quae praecedunt facile suppletur.

ceterum strategematum libris per antiquitatem multo magis videtur lectitatus esse c o m m e n t a r i u s quidam Frontini de remilitari, qui et ab ipso et ab Aeliano et a Vegetio memoratur. cuius inscriptionem servavit Ioannes Laurentius Lydus loco Frontini editoribus ignoto et alias quoque ob causas memorabili (περὶ ἀρχῶν I 47): ἀδωράτορας οἱ Ὦρμαιοι τοὺς ἀπομάχους καλοῦσιν . . ., βετερανοὺς δὲ τοὺς ἐγγεγηρακότας τοῖς ὅπλοις μάρτυρες Κέλσος τε καὶ Πάτερνος καὶ Κατιλίνας — οὐχ δ συνωμότης, ἀλλ’ ἔτερος —, Κάτων πρὸ αὐτῶν δ πρώτος καὶ Φροντίνος, μεθ’ οὓς καὶ Ρενάτος, Ὦρμαιοι πάντες, Ἐλλήνων δὲ Αἰλιανὸς καὶ Ἀρριανὸς, Αἰνείας, Ὄνήσανδρος, Πάτρων, Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς πολιορκητικοῖς, μεθ’ οὓς Ἰουλιανὸς δ βασιλεὺς ἐν τοῖς μηχανικοῖς, ὧν δ Φροντίνος ἐν τῷ *de officio legati* (*offociati* ed. correxit Fussius), ἀντὶ τοῦ ἐν τῷ περὶ στρατηγίας, μνήμην ποιεῖται. cf. III 3: καὶ μέσος μὲν ἦν (τῆς στρα-

¹ summa diligentia ac fide Frontinum auctoribus suis usum esse ostendit Gundermannus in annalium philol. suppl. XVI p. 361 sq. porro in singulis strategematis singuli tantum fontes adhibiti sunt. itaque non ultima tantum prolixae huius paragraphi verba, ut Livii editores putant, ab eo petita sunt, sed integrum strategema. similis ratio est loci vicini II 5, 34.

τιδες), ώς εἱρηται, ὁ αὐτοκράτωρ, ώς Φροντίνος λέγει. contra dubitare licet num hoc Petri Tacticie loco Frontini nomen iure ab A. Maio restitutum sit (περὶ τακτικῆς ἐπιστήμης in Script. vett. nova collect. II p. 592): εὖ γάρ μοι δοκεῖ καὶ ὁ Τυρσηνὸς ἴδων Φιρμίνος (Φροντίνος Maius) τὴν πεζὴν στρατιὰν κατὰ τρόπον κοσμουμένην τεῖχος ὄντως ἀσυλον ὀνομάζειν, τεῖχος ζῶν, τεῖχος κινούμενον, τεῖχος ἔννουν, τεῖχος σιδήρεον, τεῖχος οὐ μιᾶς ώς εἴωθε πόλεως, ἀλλ' ὅλης πολιτείας. nam quamquam Firmini opus de re militari alibi non memoratur, tamen et horum librorum exeunte maxime antiquitate magna multitudo erat et Firmini nomen illis temporibus satis crebrum¹⁾. praeterea verborum allatorum color rhetoricus abhorret a Frontini genere dicendi.

APVLEI metamorphoseon II 2 Lucius de se Hypatam civitatem peragrante haec narrat: *tamen dum in luxu nepotali simul ostiatim cuncta pererro, repente me nescium forum Cupidinis intuli.* haec est scriptura vulgo recepta et ab Eyssenhardt quoque, quamvis *simul* illud ferri non possit, probata. ac ne id quidem, quod Lueti Johannes in Ritschelii actis III p. 478 ex codicis F lectione *in luxu nepotale simul* eruit, *in luxum nepotalem intentus potulento similis* ad persuadendum appositum est. una tantum lineola adicienda: *in luxū nepotalem similis.* v. X 30 *puella vultu honesta in deae Iunonis speciem similis,* Tacitus ann. II 39 *nam aetate et forma haud dissimili in dominum erat.*

in iisdem metamorphoseon libris vocum inusitatarum plenis et diligenter lectitatis mireris glossematum adhuc detectorum penuriam. verum tamen VII 18 verba, quae F sic praebet: *sed occipiens a capite, immo vero et ipsis auribus totum me compilabat cedit* (caedit vg.) *fusti grandissimo, nullo alio modo nisi interpolatione statuta non graviore illa quidem, sed quae librariorum incuria* *cidit* orta sit, lucem accipiunt. scriptum erat in archetypo: *compilabat* ita ut *concidit* explicatio verbi minus usitatⁱ *compilabat* esset. v. Pseudoluciani Luc. vel asin. 30 συνέκοπτέ με τῷ ξύλῳ. simplex autem verbum *pilabat* etiam apud Petronium 44 interpolationis ansam dedit. — similiter I 5 loco multum temptato: *sed ut prius noritis cuiatis sim. qui sim.* Aegensis voculas *qui sim* etiam distinctione in F a ceteris separatas ut interpretamentum

¹ v. Forcellini ed. de Vit onomast. s. v., Pape-Benseler s. v., Teuffel-Schwabe hist. litt. Lat. § 196, 2.

ineptum eorum quae praecedunt secludendas esse existimo. sic demum hoc enuntiatum proximo, id quod amat Apuleius, prorsus respondebit: *audite et quo quaestu me tencam: melle vel caseo et huiusc modi cauponiorum mercibus per Thessaliam Aetolian Bocotiam ultro citro discurrens*, ubi in iis quae Lucii comes sibi ipse respondet verbum iterum deest. ceterum nescio cur necessarium sit cum Eyssenhardtio et Hildebrandto libros deteriores secutis codicis F scripturam *Aegiensis* in *Aeginensis* mutare.

SYMMACHVS orat. I 16 ed. Seeck: *vis petam proximae aetatis exempla? ecce Baiae Augustus a continuo mari vindicat et molibus Luciferis sumptus laborat imperii, Tiberius in devororiis insularum natans et navigans adoratur, Pius otia Caictana persequitur, in Lycio et Academia remissior Marcus auditur.* diu est ex quo *moratur* pro *adoratur* scribendum esse conieci. nam quo tandem pacto quis natans et navigans adorari potest? porro notum est Tiberium Capreis conspectum hominum vitavisse. in eadem autem re Seeckium, cum eius editio prodiisset, offendisse vidi. sed nescio cur *demoratur* scribi velit. *moratur* enim, maxime si scripturam maiuseculam spectas, ad litterarum traditarum vestigia proprius accedit.

i b i d. II 24: *dum orbis terminos quaeris, gentium sustulisti. parum quiddam naturae superest, quod adhuc Romanus inquirat. relabi credis imperium, nisi semper accesserit. fieri non potest ut accesserit absolute et simili atque creverit significatione ponatur.* itaque circumspiciendum est subiectum, quod facile recuperamus ex proximis: *quid si impetus tuos eqs. ergo scribendum: nisi semper accesserit <quid>*.

HISTORIAE APOLLONII cap. 8 haec leguntur: *tunc senex indignatus iterato salutavit eum Hellenicus et ait: have, inquam, Apolloni. miror Riesium non vidisse Hellenicus glossema esse supra lineam vel in margine positum et postea in verborum ordinem receptum.* nam supra iam dictum est ei homini, qui Apollonio Tharsiam profecto occurrisset, nomen Hellenico fuisse et notus est librarium mos nomina eorum qui loquuntur adscribendi.

i b i d. 16 narratur Apollonius naufragio in terram Archistratis electus musicae praeclera scientia nobilem indolem regi et filiae probasse: *et (Archistrates) iussit ei tradi lyram. egressus foras Apollonius induit statum, corona caput decoravit et accipiens lyram introivit triclinium eqs.* merito Riesius ante statum corruptelae signum posuit. sed facile vitio mederi licet comparatis his verbis quae sub finem capitis leguntur: *post haec de-*

*ponens lyram induit statum comicum et inauditas actiones expressit, deinde tragicum eqs. non dubito igitur quin post statum vocabulum *lyricum* interciderit. quod si littera i pro y scriptum erat et statum litterae a formam apertam habebat, huic voci erat simillimum.*

i bid. 18: sed puella, Archistratis filia, ab amore incensa inquietam habuit noctem:

*figit in pectore vulnus
verborum cantusque memor.*

*ut metrum constet, videtur scribendum esse *figitque*. saepissime enim que in versibus omittitur.*

*i bid. 28 Apollonii ad Stranguillionem et Dionysiadem verba sunt haec: quoniam post amissam coniugem caram mihi servatum regnum accipere nolo neque ad socerum reverti, cuius in mari perdidì filiam, sed potius opera mercaturus, commendo vobis filiam meam. patet pro opera mercaturus requiri infinitivum. quare scripserim: *operari mercatus*.*

i bid. 42 aenigma exstat de balneo valde corruptum:

*per totas aedes innocius introit ignis:
circundat flammis hinc inde vallata nec uror.
nuda domus, nudus ibi convenit hospes.*

cum Symphosius (anthol. Lat. Riesii 286, 89 = poetæ Lat. min. Baehrensi IV p. 383), qui diversam recensionem sequitur, opem non ferat, configiendum est ad explicationem aenigmatis, quae sub finem capit is legitur. ex qua ad emendandum versum secundum non multum lucramur, cum ad eum haec tantum verba pertineant: *intrarem . . . in balneum, ubi hinc inde flammae per tubulos¹ surgunt.* fortasse tamen, cum *surgendi* verbo muri aedificii significentur, *valla* pro *vallata* scriptor posuerat. plura ultimo versui respondent, in quo lacuna hiat interpolatione deteriorum codicum *malusque huc omnis male* a Riesio expleta. sunt autem haec: *nuda domus est, quia nihil intus nisi sedile, ubi nudus hospes sudat* (ita B, *sudabit* βγ). unde sic versum restituo: *nudus sudabit cum venit hospes.* nam *nudusque ibi sudat cum venit hospes* ideo scribere nolo, quod *ibi* in β ex explicatione illatum videtur et duo enuntiati membra melius inter se opponuntur quam coniunguntur.

i bid. 46: fit tribunal ingens in foro, et induens Apollonius regalem vestem deposito omni squalore luctuoso quod habuit atque detonso capite diadema imposuit. facile intellegitur verba quod habuit sedem mutasse. nam cum squalore luctuoso coniungi nequeunt, sed pertinent haud dubie ad diadema. hanc igitur genuinam orationis formam esse puto: deposito o. s. l. atque detonso capite diadema quod habuit imposuit.

Kiliae.

Otto Rossbach.

¹ *tubulos* scripsit Lapaumius, cf. W. Meyer in Sitzungsberichte der philosoph.-philolog. Classe der bayerischen Akademie II (1872) p. 8 adn. 1; codices optimi habent *turbulos*.